Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

vel filii vel spiritus sancti. eodemque modo filium nec sui nec patris meminisse nisi per
patrem nec diligere nisi per spiritum sanctum. per se autem non nisi intellegere et patrem
et se ipsum et spiritum sanctum. similiter et spiritum sanctum per patrem meminisse
et patris et filii et sui. et per filium intellegere et patrem et filium et se ipsum
per se autem non nisi diligere et se et patrem et filium. tamquam memoria sit pater
et sua et filii et spiritus sancti. filius autem intellegentia et sua et patris et spiritus
sancti. spiritus vero sanctus caritas et sua et patris et filii. Quis haec in illa trinitate
opinari vel affirmare praesumat. Si enim solus ibi filius intellegit
et sibi et patri et spiritui sancto. ad illam reditur absurditatem ut pater non
sit sapiens de se ipso sed de filio. nec sapientia sapientiam genuerit
sed ea sapientia pater dicatur sapiens esse quam genuit. Ubi enim non est
intellegentia nec sapientia potest esse. ac per hoc si pater non intellegit ipse sibi.
sed filius intellegit patri profecto filius sapientem facit patrem. Et si hoc est deo
esse quod sapere et ea illi essentia est quae sapientia. non filius a patre quod verum est sed
a filio potius habet pater essentiam. quod absurdissimum atque falsissimum est.
Hanc absurditatem nos in libro septimo discussisse convicisse abie
cisse certissimum est. Est ergo deus pater sapiens ea qua ipse sua est sapientia. et
filius sapientia patris de sapientia quod est pater de quo est genitus filius. Quocirca conse
quenter est intellegens pater ea qua ipse sua est intellegentia. neque enim esset
sapiens qui non esset intellegens. Filius autem intellegentia patris de intellegen
tia genitus quod est pater. Hoc et de memoria non inconvenienter dici potest.
Quomodo enim sapiens qui nichil meminit vel sui non meminit. Proinde quia
sapientia pater sapientia filius. sicut sui meminit pater ita filius. et sicut sui et filii
meminit pater memoria non filii sed sua. ita sui et patris meminit
filius memoria non patris sed sua. Dilectio quoque ubi nulla est quis ullam di
cat esse sapientiam. Ex quo colligitur ita esse patrem dilectionem suam ut